

FLUVII TRANSITUM PONTE CONIUNGAMUS.
DE AUCTORIBUS IN LYCEIS
PER USUM TRACTANDIS

JORGE TÁRREGA GARRIDO

Collegium Latinitatis

jorge.tarrega@gmail.com

Summarium

Monstrantur hac in symbola rationes et consilia ad auctores in lyceis praelegendos, quem ad finem exemplo depromitur initium operis Caesaris *De Bello Gallico*. De transitu illo agitur, qui est inter linguae Latinae rudimenta et monumenta litterarum. Ponuntur primo in conspectu imagines et annotationes, quo facilius intellegant discipuli narrationem; secundo loco grammatica plurimis exemplis adumbratur; tertio de legendo docetur; postremo varia exercitia exhibentur.

Claves

Rationes docendi, auctores, Latine loqui, Caesar.

Resumen

Se presenta en el siguiente artículo una propuesta de introducción a la lectura de los autores clásicos en los institutos de Secundaria, para lo cual se toma como modelo el comienzo de la obra *De Bello Gallico* de César. Se trabaja la transición existente entre los inicios del estudio del latín y la entrada en los textos antiguos. En primer lugar se lleva a cabo una exposición de temas e imágenes para que los alumnos entiendan con mayor facilidad la narración; en segundo, se esboza la gramática con múltiples ejemplos; en tercero se recomiendan distintas lecturas; por último se propone un muestrario de ejercicios.

Palabras clave

Metodología, autores, Latín activo, César.

Sed hunc disertum praeceptorem prudentem quoque et non ignarum
docendi esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis, ut
velocissimus quoque, si forte iter cum parvulo faciat, det manum et gradum
suum minuat nec procedat ultra quam comes possit

(Quint., *inst.* 2, 2, 7)

DE TRANSITU

Multa iam his proximis annis eaque firmissima eaque iucunda data sunt consilia de linguae Latinae fundamentis Latine tradendis, de beneficiis Latine docendi et Latini sermonis usu in scholis fovendo. Neminem fugit, plurimos fructus capere posse discipulos, qui quattuor linguae facultates in lyceis cotidie exercent: *audire* scilicet, *loqui*, *scribere*, *legere*. Non est autem nobis nunc in votis omnes illos fructus enarrare et describere, quin immo **rationes** docendi pervestigare et quaerere, quarum auxilio linguam latinam pergamus docere ex primis rudimentis ad monumenta litterarum. Volumus igitur de illo haud facili transitu disserere qui interest inter fundamenta linguae et auctores. Statuamus nobis scribentibus semper ob oculos adversaria discipulorum et calamos scriptorios, eorum mentes et facultates, atque pontem sternemus ad auctorum studium et praelectionem, non sane montes auri neque maria lectoribus pollicentes, sed tamen certam viam et efficacem —omnia enim dicimus experti— in lyceis, in gymnasiis, in ludis litterariis. Quippe tritissimam semitam emetimus, quam multi collegae magnis laboribus magnaque alacritate et diligentia nobis iam pridem patefecerunt¹.

In lyceis Hispanicis duo tantum anni praesto sunt magistris qui tirones erudiant ab initiis eosque praeparent ad *Periculum*, quod dicitur, *Maturitatis*, ante studia superiora discrimen atque culmen, quo plerumque loci proponuntur Caesariani, ex *Bello Gallico* vel ex *Bello Civili* excerpti². Attamen plures sunt in dies magistri qui utantur *Familia illa Romana*, ab Iohanne Orberg medio saeculo XX primum

¹ Sint lectoribus documento opera, quae, rationibus docendi et exercitiis referta, iam saeculis praeteritis edita sunt in lucem de Caesare: Sauveur 1878, Collar 1892, Lowe-Butler 1894, Otto 1906 & 1929; et novissime, etiam de Vergilio, Seneca et Suetonio: Patrick 2015, Ballestrini 2018 et Stringer 2018.

² Etsi iam in 4^o ESO possunt discipuli *Studia Humanitatis* eligere, saepe praeceptores, legibus Hispanicis coacti et rerum adiunctis, a rudimentis incipiunt in *Bachillerato*, e quo usu venit, ut instructio linguae Latinae ad duos dumtaxat annos (1^o-2^o *Bachillerato*) neque ad tres redigatur.

edita, saeculo XXI ineunte expolita; vel aliis libris, inter quos excellent methodus Cantabrigiensis et methodus Oxoniensis. Sunt prorsus, nemo ibit infitias, qui rudimenta tradant *per usum*, idque sapienter, nam, Comenio teste, “omnis lingua usu potius discatur quam praeceptis, id est, audiendo, legendo, relegendo, transcribendo, imitationem manu et lingua tentando quam creberrime” (*Didact.* 22, 11). At quid, quid, si a primis unguiculis discipulos nostros informamus his in peritiis; quid, si, paululum progressi, quotienscumque ad ipsos auctores venimus, protinus ad methodum trallaticiam transimus neque nihil aliud nisi singula convertimus vocabula? Quid est causae cur aliis rationibus utamur in initio, aliis in fine? Quin efficiamus, ut extrema cum initiis conveniant?

Quae cum ita sint, benigne lector, animum induximus ad C. Iulium Caesarem eiusque *Bellum Gallicum* idcirco, quod ad aetatem auream litterarum Latinarum pertinet et specimen fuit, pace Ciceronis, posteritati, item quod, “omni ornatu orationis detracto”³, commoda discipulorum et progressus non remoratur atque officii partes, quas lex iubet, undique implet.

DE TEMPORE, DE CONDICIONIBUS, DE LOCIS SELECTIS

Idem et docenti et discenti debet esse propositum:
ut ille prodesse velit, hic proficere
(Sen., *epist.* 108, 3).

Ecce loci tres e Caesaris libro I *de Bello Gallico*, quos suscepimus tractandos:

[1] Gallia est omnis dīvīsa in partēs trēs, quārum ūnam incolunt Belgae, aliam Aquītānī, tertiam quī ipsōrum linguā «Celtae», nostrā «Gallī» appellantur. Hī omnēs linguā, īnstitūtīs, lēgibus inter sē differunt. Gallōs ab Aquītānīs Garumna flūmen, ā Belgīs Mātrona et Sēquana dīvidit. Hōrum omnium fortissimī sunt Belgae, propterea quod ā cultū atque hūmānitāte prōvinciae longissimē absunt, minimēque ad

³ Vide Ciceronis *Brutum* 262, de Caesare: “Etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit; nihil est enim in historia pura et inlustri brevitate dulcius”.

eōs mercātōrēs saepe commeant atque ea, quae ad effēminandōs animōs pertinent, important, proximīque sunt Germānīs, quī trāns Rhēnum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Quā dē causā Helvetiī quoque reliquōs Gallōs virtūte praecedunt, quod ferē cotīdiānīs proeliīs cum Germānīs contendunt, cum aut suīs finibus eōs prohibent aut ipsī in eōrum finibus bellum gerunt. (...)

[2] Apud Helvētiōs longē nōbilissimus fuit et dītissimus Orgetorīx. Is, M. Messālā, et M. Pīsōne cōsulibus, rēgnī cupiditate inductus, coniūratiōnem nōbilitātis fēcit et cīvitātī persuāsit ut dē finibus suīs cum omnibus cōpiīs exīrent: perfacile esse, cum virtūte omnibus praestārent, tōtīus Galliae imperiō potūrī. Id hōc facilius eīs persuāsit, quod undique locī naturā Helvetiī continentur: ūnā ex parte flūmine Rhēno lātissimō atque altissimō, quī agrum Helvētium ā Germānīs dīvidit; alterā ex parte monte Iūrā altissimō, quī est inter Sēquanōs et Helvētiōs; tertiā lacū Lemannō et flūmine Rhodanō, quī provinciam nostram ab Helvētiīs dīvidit. (...)

[3] Hīs rēbus adductī et auctōritāte Orgetorīgis permōtī cōstituērunt ea quae ad proficiscendum pertinērent comparāre: iūmentōrum et carrōrum quam maximum numerum coemere, sēmentēs quam maximās facere, ut in itinere cōpia frūmentī suppeteret, cum proximīs cīvitātibus pācem et amīcitiam cōfirmāre. Ad eās rēs cōficiendās biennium sibi satis esse dūxērunt; in tertium annum profectiōnem lēge cōfirmant.

Sed ordiamur a condicionibus, quas censemus servandas, ut ad propositos fines perveniamus: librum illum *Familiam Romanam* qui tractaverit, non antea nostris consiliis, siquidem libuerit, utetur quam **capitulum XXVII** in scholis tradiderit et docuerit; nec sine causa, nam hoc in capitulo modus coniunctivus monstratur, cuius usum si non percalluerint discipuli, haud longe in auctoribus legendis progredientur. **Tempus** ad haec constituenda nullum aestimamus aptius, quam secundus annus academicus, qui in lyceis Hispanicis vulgo *2º de Bachillerato* nuncupatur. Quod ad scholarum numerum spectat, **biduum** satis superque esse iudicamus, in quo cuncta fiat praeparatio et initium belli Helvetici legatur. Tertium, si etiam exercitia complecti in scholis volueris, addes diem. Difficultates, in quas incurrant discipuli, **patienter** et aequo animo ferendae sunt, nam, quod nobis magistris patet interque omnes peritos constat, nempe quot in partes Gallia esset saeculo I aCn divisa vel e quibus collegis triumviratus constaret, discipulis nova est via, immunita et ignota. Suscipiant iter, quoad possumus, expeditius

et iucundius, neque asperum neque salebrosum. Ceteroquin **de notitia linguae** hoc minime latet, et magistros sane oportere aliquatenus versatos esse in Latine loquendo, et discipulos in audiendo, quod nisi evenerit, quidquid superstruxeris, corruet.

Condiciones	
Linguae gradus	Capitulum XXVII <i>Familiae Romanae</i> perfecto
Tempus	Secundus annus academicus
Summa scholarum	Biduum vel triduum
Magistri	In loquendo periti
Discipuli	Vsu cotidiano linguae assueti

DE SCHOLIS COMPARANDIS. DE PRAEPARATIONE

In omnibus negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens

(Cic., *off.* 3, 21, 73).

Sit talis rerum dispositio, quas mox describemus:

1.	Praeparatio: tempus, loca, res
2.	Grammatica: vocabula, structurae, locutiones
3.	Lectio: prior lectio, lectio ipsa, posterior lectio
4.	Exercitationes

Postquam clare legimus paragraphos discipulosque docuimus recte pronuntiare, veniendum est ad eorum mentes praeparandas. Vix negari potest, hodiernam iuventutem longe abesse a natura et argumento operis Caesaris, quare mentes discipulorum nostrorum sunt imprimis eo animo paulatim conformandae, ut valeant et linguam intellegere et rem penitus tenere. Huc adde praeter argumentum a consuetudine remotum constructionem sententiarum aliquando intricatam esse, quae omnia sunt comiter aperienda.

Vt paulo inferius monstrabitur, magno emolumento discipulis fore censemus **scaenas** breves proeliorum, quae scaenae in pellicularum serie "Roma" (HBO, BBC2 et RAI2, 2005) praesto sunt omnibus. Satis sit eas spectare, dum verba facimus de proelio, de armis, de loco. Sunt enim

loca porro in **terrarum descriptionibus** indicanda, necnon **tabulae pictae** afferendae, in quibus rebus omnibus discipuli certiores fiant de argumento mox tractando. Neque raptim neque parum auspicato imagines sunt colligendae, sed magna diligentia et summo studio, quo multo melius possint discipuli mente fingere rerum statum et cursum. Ceterum quo magis Antiquitati accomodaverimus imagines neque ad tempora hodierna pertinuerint, eo melius rem animo comprehendent discipuli.

De bellis et proeliis: pedetemptim ut discipulorum mentes in urbem et Romanorum tempora tamquam transferantur, spectent praeter scaenam seriei “Romae” (vide imaginem I) vel alterius huius generis, notissimam illam tabulam a Lionel Royer anno MDCCCXCIX depictam (vide imaginem II), in qua Vercingetorix arma tradit Caesari post proelium Alesiae habitum. Sic prodeunt in ludum, ut ita dicamus, *scuta, galeae, hostes, equi, duces, milites, signa, arma, tradere, verba facere...* itemque ansam arripimus structuram faciles adumbrandi, quas mox mox offendent.




Imago I



Imago II

De locis: inspiciant discipuli ipsis oculis Galliam totam (vide imaginem III), quae in partes tres dividitur. Dehinc, eadem imagine amplificata et numeris consignata (vide imaginem IV), minutatim describatur loci natura, qua Helvetii dicebantur contineri: a flumine Rheno (1), a monte Iura (2) et a laco Lemanno (3).



Imago III

Imago IV

De tempore: discipuli probe sciunt binos consules Romae regendae quotannis creari. Ope tabulae inferioris monstrentur singuli consules qui temporibus Belli Gallici creabantur. Dicendum est praeterea annos apud Romanos, sicut mos ferebat, a consulibus creatis nuncupari.

Anno a.C.n.	Consules Romani
61 a. C.	M. Valerius Messala M. Pupius Piso
60 a. C.	Q. Caecilius Metellus Celer Lucius Afranius
59 a. C.	C. Iulius Caesar M. Calpurnius Bibulus
58 a. C.	L. Calpurnius Piso A. Gabinius

De migratione: in imagine numero V consignata dilucide depingitur contio civitatis Helvetiae, in capitulo II descripta; capitulum vero III complectuntur imprimis imagines VI et VII in quibus Helvetii, carris vecti, de finibus suis exeunt. Quin et iumenta, sementes atque pax, quibus opus est ad proficiscendum, in imaginibus VI-VII, VIII et IX cernuntur.



Imago V



Imago VI



Imago VII



Imago VIII



Imago IX

GRAMMATICA: STRUCTURA, VOCABULA, LOCUTIONES

Praecepta Linguarum Grammatica sint, non Philosophica. Hoc est, non subtiliter in rationes causasque vocabulorum, phrasium, connexionum, cur ita vel ita fieri necesse sit, inquirant, sed crassiore Minerva, quid et quomodo fiat, explicant. Subtilior illa causarum et nexuum, similitudinum et dissimilitudinum, analogiarum et anomaliarum, quae rebus et verbis insunt, speculatio ad Philosophum pertinet, Philologum remoratur

(Comenius, *Didact.* 22, 13)

Quod ad grammaticam attinet, praeceptoribus suademus ut quam maximum numerum exemplorum praebeant, discipulis semper accommodatorum. Quorum exemplorum natura tam est varia ex discipulorum diversitate, ut hic omnia referri nobis infinitum, nedum ἀδύνατον esse videatur. Exempla excogitemus de lyceo, de auditorio scholastico, de aliis magistris, de proprietatibus condiscipulorum, de rebus publicis, in quorum usu pateat res et statim percipiatur. Si vident, si tangunt, si audiunt, si proxima sunt iis exempla... multo expeditius novae structurae et vocabula in cutem penetrabunt. Hic quattuor saltem notabimus:

Persuadere + casus dativus + *ut* + modus coniunctivus

Die periculi cuiusdam in lyceo instituto, haud raro inveneris discipulos qui ad magistrum congregabuntur ut dies periculi in alium diem differatur, quod ‘magna moles materiae mandanda sit memoriae’; quod ‘cetera sint eodem tempore pericula eaque difficillima’; quod ‘nondum vacaverit ut tempus in lingua latina collocarent’ et multa hoc genus. Quid? *Discipuli volunt magistro persuadere, ut dies periculi in Lunae diem differatur.*

Praestare + casus dativus + casus ablativus

Numeratur inter discipulos nostros Marcus, lepidus et salsus, cui placet, ut saepe fit, laudari. Dicamus: *Marcus est pulcher, Marcus est doctus. Sunt et in lyceo discipuli pulchri et docti, sed Marcus est doctior, Marcus est pulchrior! Marcus praestat doctrinā et pulchritudine ceteris discipulis!*

Cum causale + modus coniunctivus

Hoc exemplo Marci porro ut utamur: *Cum Marcus ceteris discipulis lycei et doctrinā et pulchritudine praestet, omnes puellae eum amore depereunt!*

Differre + casus ablativus

Non ignorant discipuli Hispanici diversas esse linguas in Hispania (ut puta, Catalaunicam, Gallaecam, Vasconicam), diversas etiam provincias, quae suas habent leges et instituta; sic *Hispani nostris temporibus unum regem habent, sed differunt legibus, linguā, institutis.*

LECTIO IPSA, LECTIO ULTIMA

Praeparato igitur auditorum animo et grammatica multis exemplis adumbrata, veniamus denuo ad locum selectum, quem legimus simul atque discipulos de re interrogamus. Iam *secunda* haec est lectio. Quaerimus “quot in partes divisa sit Gallia?”, “Cur sint fortissimi Belgae?”, “Quando Orgetorix civitati persuaserit?” vel “Quis fuerit longe nobilissimus inter Helvetios?”. Volumus quidem his interrogatis corroborare discipulos bene rem percepisse, bene structuram, bene vocabula. Aliis verbis, si quid difficile offenderimus, explanabimus vel simplicius reddemus eosque exhortabimur, ut suis ipsorum verbis dicant, quid sit actum: “Dic aliter!”. Tandem, cum bis iam paragraphos legerint, veniemus ad tertiam, nunc vero expeditam, lectionem. Primum igitur rem adumbraverunt, iterum accurate omnia tractaverunt, postremo iam dici potest eos revera *legisse*⁴. Suademus lente legant singulaque verba singulasque sententias gustent. E quo fit, ut, nullis omissis, intra duas tresve scholas penitus funditusque intellexerunt locum probata et notissima fama, necnon vocabula nova et structuram usitatissimas didicerunt.

Ceterum inter omnes constat aliud esse *singulatim*, *accurate*, *studiose* legere, aliud *amplius*, *latius*, *effusius*. His nostris temporibus plane discernitur inter “intensive reading”, sit nobis venia verbis, et “extensive reading”. Tertia praeterea viget species locos aggrediendi, scilicet “philologica”, quae plerumque adhibetur in gymnasiis et in Universitatibus studiorum. Attamen, cum praesertim non foveat facultatem *legendi*, quin contra alias facultates, hanc tertiam speciem nullo modo ducimus numerandam inter modos *legendi*⁵.

EXERCITATIONES

Vt nec medici nec imperatores nec oratores quamvis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt, sic officii conservandi praecepta traduntur

⁴ Ter prorsus legendum est. Vehementer paginam retialem a magistro Iusto Bailey (vide indicem bibliographicum) concinnatam commendamus, in qua plurima docentur et innumeri nexi significantur ad linguarum studiosos, qui praecipue in optimas rationes legendi et docendi inquirunt.

⁵ Ad illud ‘amplius legere’ fovendum utilissimos putamus Pain-Mainwaring 1912 et Chickering 1917, in quibus multa legi possunt ad historiam rerum gestarum pertinentia. His adde, si placet, narrationes a magistro Piazza recentissime in rete omnium gentium congestas.

illa quidem, ut facimus ipsi, sed rei magnitudo usum quoque
exercitationemque desiderat

(Cic. *off.* I, 60)

Cum nihil, si Ciceroni credimus, sine usu et exercitatione impetrari possit, est aliquantum temporis in exercitiis ponendum. Verumtamen exercitia non solum ad grammaticam vel ad vocabula referenda sunt, sed etiam ad rem ipsam confirmandam et ad facultates legendi et scribendi fovendas. En exhibemus florilegii instar varia et diversa exercitia ad locum selectum excogitata:

I. Exercitatio scribendi

Capitulo primo perlecto et tractato, discipulis paucissima indicia commodabimus, ex quibus totum argumentum restituant et litteris mandent. Neque hic quaeritur, ut iisdem vocabulis et structuris Caesarianis utantur, quin immo ut suis ipsorum verbis initium operis reddant:

- | |
|--|
| <ul style="list-style-type: none"> • Galli-Celtae • Differentia: instituta, lingua, leges • Flumen Garumna-Aquitani • Flumina Matrona et Sequana- Belgae • Fortissimi: Belgae. Cur? <ol style="list-style-type: none"> 1. Provincia longe abest 2. Mercatores? Quid important? 3. Germani proximi • Helvetii superiores: pugnae cum Germanis |
|--|

II. De argumento quaerendo

Quae sententia argumentum capituli secundi et tertii optime complectitur?
a) Helvetii volunt de suis finibus exire
b) Orgetorix est vir nobilis et ditissimus
c) Helvetii Romanis persuadent ut sementes faciant

III. De vocabulis

Haud secus atque aliis in linguis perdiscendis iuvat synonyma et voces proferre quibus pares in capitulis depromptis reperiuntur.

Quaere in locis selectis vocabula ad haec apta	
Aviditate, studio:	
Pugnant:	
In potestatem redigere, possidere:	
Duo anni:	
Putaverunt:	
Responsa: <i>cupiditate/contendunt/potiri/biennium/duxerunt</i>	

IV. De grammatica

- a) Quaere in capitulo I duo pronomina relativa
- b) Quae participia coniuncta reperiuntur in capitulis II et III?
- c) Cui casui iungitur verbum *potiendi*? Cui verbum *praestandi*?
- d) Modum indica et tempus vocis “*exirent*”
- e) Quid est “ad haec biennium satis esse duxerunt”?

V. De conversione

Postremo ut fastigium imponamus exercitiis discipulosque assuefaciamus usu, qui etiamnunc adhibetur multis in lyceis tamquam nulla alia ratio periclitandi, nullus alius modus sciscitandi extaret, utrum discipuli intellexerint locos Latine conscriptos necne, sententias diligenter seligemus, quae in sermonem vulgarem convertantur. ‘Diligenter’ diximus; sic enim depromemus sententias difficultatibus praeditas vel structuris modo adumbratis, vel a lingua vernacula longe abhorrentes, neque vero cunctas paragraphos discipulos iubebimus convertere, ne in errorem incidant illum, nobis esse semper, ut intellegamus, convertendum, quod quidem est a veritate et omnium linguarum usu remotum. Primum legendum est et intelligendum, dein, ut aliter exerceamus, vertendum est:

Verte in sermonem vulgarem
- <i>Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt</i>
- <i>Coniurationem nobilitatis fecit et civitati persuasit ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent</i>
- <i>His rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti constituerunt ea quae ad proficiscendum pertinerent comparare</i>

EPILOGUS

Animum iam inde ab initio induximus, ut discipuli nostri, sesquianno rudimentis linguae instructi, et in auctores penetrare et utilitatem capere possent haud parvam. Sumus autem nobis bene conscii, hisce rationibus discipulos manu quidem benignissima in atrium ductos esse atque asperitates itineris adeo permultas esse, ut sibi viam pedetemptim aperirent et ipsi ad alios locos aliosque auctores posthac incitarentur. Speramus fore ut discipuli fructus capiant amplissimos eosque magistri ex seminibus sparsis videant crescere. Neque hic agitur tantum de grammatica vel de lingua perdiscenda, quin etiam de causis bellorum eorumque natura, de multorum hominum atroci morte, de populorum migrationibus, de gloria militari appetenda, de opibus augendis, de familiis, de Europae regionibus et civitatum dispositione, de rebus gestis. Quid, si tantum linguam attingamus? Quid, si occasionem non arripiamus uberrime disputandi et quaestiones tam graves afferendi? Haec argumenta perpetua si tractabimus, non tantum discipulorum peritiam linguae augebimus, non tantum de *vehiculo* et *instrumento*, de lingua scilicet, sed etiam de rebus praeteritis et hodiernis, quae verbis vestitae ad nos post hominum memoriam pervenerunt.

IMAGINES⁶

Imago I (*TV Series Roma*): <<https://www.youtube.com/watch?v=YxLqx8xF9Pw>>

Imago II (Vercingetorix): <<https://es.wikipedia.org/wiki/Vercing%C3%A9torix#/media/File:Siege-alesia-vercingetorix-jules-cesar.jpg>>.

Imagines III & IV (Gallia):

<https://es.wikipedia.org/wiki/Galia#/media/File:Map_Gallia_Tribes_Towns.png>.

Imago V (Helvetii de migratione disputant):

<<https://www.northwindprints.com/european-history/helvetian-migration-switzerland-5881055.html>>.

<<https://arrecaballo.es/edad-antigua/guerra-de-las-galias/campana-contra-los-helvecios-58-ac/>>.

Imagines VI & VII (Galli carris vehuntur):

<<https://www.quora.com/Maps-showing-the-fall-of-the-Western-Empire-are-full-of-huge-tribe-movements-What-would-a-moving-tribe-actually-look-like>>.

<https://imgc.allpostersimages.com/img/print/posters/gaulish-wagon_a-G-12102322-8880726.jpg>.

Imago VIII (Sementes facere):

<<http://www.chapelhillcoptic.net/dnn/ChurchServices/Curriculum/TabId/106/ArtMID/565/ArticleID/978/And-some-fell-among-thorns.aspx>>.

Imago IX (Manus quattuor):

<https://pngtree.com/freepng/shake-hands_758130.html>.

⁶ Singula pagellarum ligamina, quae hac in symbola reperiuntur, sunt in reti omnium gentium Kalendis Ianuariis ann. MMXIX ab auctore recognita.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

BAILEY, J., *Limen: a Latin teaching portal*: <<http://indwellinglanguage.com/limen-a-latin-teaching-portal/>>.

BALLESTRINI, K. & THE PERICLES GROUP, *Operation Caesar*: <<http://lapis.practomime.com/index.php/quick-links/operation-caesar-reading-list>>.

CHICKERING, E. C. (1917), *First Latin reader*; Charles Scribner's sons, New York: <<https://archive.org/details/firstlatinreader00chicrich>>.

COLLAR, W. C. (1892), *The gate to Caesar*, Ginn & Company, Boston: <<https://ia601409.us.archive.org/15/items/gatetocaesarbyw00collgoog/gatetocaesarbyw00collgoog.pdf>>.

COMENIUS, J. A. (1657), "Didactica Magna Universale omnes omnia docendi artificium exhibens", *J. A. Comenii Opera Didactica Omnia*, Christophorus Conradus & Gabriel à Roy, Amstelodami: <<https://www2.uni-mannheim.de/mateo/camenaref/comenius/comenius1/p1/jpg/s090.html>>.

LOWE, C. M. & BUTLER, N. (1894), *Bellum Helveticum for beginners in Latin*, Albert, Scott and co., Chicago: <<https://ia801405.us.archive.org/15/items/bellumhelveticu02caesgoog/bellumhelveticu02caesgoog.pdf>>.

OTTO, B. (1929²), *Tirocinium Caesarianum. Commentarius primus*, Verlag des Hauslehrers, Berlin-Lichterfelde: <<https://ia600507.us.archive.org/24/items/OttoTirociniumCaesarianumCommentariusPrimus/Otto%20-%20Tirocinium%20Caesarianum-Commentarius%20primus.pdf>>.

OTTO, B. & HILLNER, H. (1906), *Tirocinium Caesarianum. Liber alter, liber tertius*, Verlag von K. G. Th. Scheffer, Leipzig: <<https://ia600505.us.archive.org/24/items/OttoHillnerTirociniumCaesarianumLiberAlterLiberTertius/Otto%20%26%20Hillner%20-%20Tirocinium%20Caesarianum-Liber%20alter%2C%20liber%20tertius.pdf>>.

PAINE, W. L. & MAINWARING, C. L. (1912), *Primus annus*, Clarendon Press, Oxford: <<https://ia801002.us.archive.org/4/items/primusannus002006mbp/primusannus002006mbp.pdf>>.

PATRICK, R. (2015), “Making Sense of Comprehensible Input in the Latin Classroom”, *Teaching Classical Languages* 6.1, 108-136: <http://tcl.camws.org/sites/default/files/TCL%20Spring%202015%20Patrick_0.pdf>.

PIAZZA, J. P. (compiled by), *Narrationes faciles de historia Romanorum*: <http://www.johnpiazza.net/latin_hist_reader.pdf>.

SAUVEUR, L. (1878), *Talks with Caesar. De bello Gallico*, Henry Holt and Company, New York: <<https://archive.org/details/talkswithcaesard00sauv>>.

STRINGER, G. (praesentatio, 2018), “Teaching Classical Literature actively”, *112TH Annual Meeting*, Classical Association of New England: <<https://docs.google.com/presentation/d/1ShR7iXcfBezyv0QBSj2e-ZxXLnlkJhwMSoq18Y6vS1Y/edit#slide=id.p4>>.